

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Christvs Acerbissimos Crvciatvs Mortemqve  
Ignominiosam Svbitvrvs Ex V.T. In N. Sistitvr**

**Officina Ahliana Officina Ahliana**

**Cobvrgi, MDCCLXXI**

**§. VI.**

**urn:nbn:de:gbv:45:1-9348**

ILL. CASIMIRIANI ACAD. DIRECTOR  
ET RELIQVI PROFESSORES CIVIBVS SVIS

S. P. DD

# CHRISTI

§. VI.

**P**rae caeteris autem hoc pertinent typi, qui in V. T. mortem Christi figurarunt, et ad eam in N. applicantur, qui, accuratius considerati; simul veram eius vim modumque, quo illi oblata est, praecipue ostendunt. Quibus in typis praeceps victimae, quae magnam veteris religionis partem constituebant, sunt numerandae. Hae, cum mactarentur, non in genere tantum caedem Christo inferendam adumbrarunt, sed, per caerimonias Dei iussu adhiberi solitas, declararunt etiam, *ad non suae ipsius, sed glorie culpare causa, mortem obitum esse Seruatorem nostrum, eaque nostra peccata expiaturum.* Certum enim est in sacrificiis prisci foederis aliena peccata puniri existimatum fuisse, postquam, per manuum impositionem culpaeque admissae confessionem, in ea fuerant translata.<sup>h)</sup> Hinc Paullus ut nostram vicem Christum patient-

do

b) Vid. praeter alios III. MICHAEL. *typische Theologie* p. 58. 71.



do et moriendo sustinuisse doceat, toties formulis vtitur a sacrificiis vel petitis, vel ad ea alludentibus, vt Eph. V, 2. *Christus se ipsum tradidit pro nobis προσφορὰν καὶ θυσίαν τῷ Θεῷ, εἰς ὀποῦντα εὐωδίας.* Ebr. IX, 28. *Christus semel προσενέχθεις, tanquam sacrificium pro peccato oblatus est, ad multorum peccata tollenda.* Ebr. X, 12. *Αὐτὸς μίαν υπὲρ ἀμαρτιῶν προσενέγκεις θυσίαν, coll. v. 14.* Omissis locis aliis, non dubitamus huc referre Rom. VIII, 3. ὁ Θεὸς τὸν εἰαυτὸν υἱὸν πέμψας — περὶ ἀμαρτίας, quo in nomine subintelligendum est θυσίαν, misit filium tanquam sacrificium propitiatorium. i) An vero 2 Cor. V, 21. *huc quoque pertineat, verbaque : υπὲρ ἡμῶν ἀμαρτιῶν ἐποιησεν, redenda sint : sacrificium piacularē* (vt hebr. ΠΝΩΝ) *pro nobis constituit,* dubium videri potest, cum, vt alibi, ita hic etiam abstractum pro concreto, ἀμαρτία pro ἀμαρτωλὸς locum habere queat. Sed, vt propositum prosequamur, sacrificia, praesertim quoddam in eorum genus, significabant etiam, β) *extra urbem Hieros. Christum iri trucidatum.* Seilicet sacrificia omnium praecipua, quae vel pro totius populi, vel pro Pontificis Max. peccatis offerebantur, ex lege Mosaica divinitus lata, extra Israëlitarum castra cremabantur, sanguine tamen eorum in

B. 2

i) Id formula περὶ ἀμαρτίας aperte significat Hebr. X, 6. Et LXX, hebr. ΠΝΩΝ et ΠΝΩΡ̄ ita etiam vertunt Leu. VI, 23. Num. VIII, 8.



sancto oblatō et sparso, quod eo transfert Ap. Paulus, ut Christo extra portas moriendum fuerit; Ebr. XIII, 12. *Διὸ καὶ ἐν Ιησοῦς, ἵνα ἀγίασῃ διὰ τῆς ἁδίας αἵματος τὸν λαὸν, ἐξωτῆς πόλης ἔπαθε.* Facile esset plures inter sacrificia V. T. et Christi, quod obtulit, sacrificium, inuenire similitudines, quae passim etiam a theologiae typicæ scriptoribus afferuntur, sed eae quidem non sunt huius loci.

## §. VII.

**In crucem autem actum,** adeoque modo ignominiosissimo, vitam Christum finiturum esse, cum effatis minime obscuris significatum olim fuit, tum typo etiam serpentis aenei, quem Iesus ipse sibi applicat Ioh. III, 14. *καθὼς μωσῆς ὑψώσε τὸν ὄφον εἰς τὴν ἐρήμῳ, ὅτας ὑψωθεῖν αὐτὸν τὸν ψιλὸν τὴν αὐθεάπε.* Historiam ipsam Numer. XXI, 8. latius descriptam hic non repetemus, id vnum submonentes, typi et antitypi similitudinem non nimis et ad omnes partes extendendam esse, sed momentum rei in suspensione et salutis ab eo, quod suspensum esset, expectatione ponitur. Quare audiendi ii non sunt, qui comparatione inter Christum et serpentem subtiliter nimis instituta, negant hunc eius typum esse posse, quin potius diabolum **cum Seruatore cruci quasi suffigendum ab eoque vincendum**

per

